

**05**

**A**

**315**





DISPUTATIO LOGICA  
*De*  
Prima mentis operatione,

*Quam,*  
Deo Autore,  
SUB PRÆSIDIO  
M. MICHAELIS VVENDLERI

PETRUS Lichterfeldt /  
*publicè proponit*

ad diem 15. Octobr. in auditorio minori

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.

---

ANNO MDCXXXVI

VIRIS  
CLARISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO  
DN. M. ERASMO SCHMIDIO  
Græcæ Linguæ & Mathematicum inferi-  
orum Profefs. Publ.

ET  
Clarissimo atq; Eximio Dn.  
M. JOHANNI ERICO OSTERMANNO  
Facultatis Philosophicæ Adjuncto dignissimo  
Ptæceptoribus & Promotoribus æviter-  
num colendis:

UT ET  
Viris Juvenibus Præstantiss: & Doctiss:  
M. } DAVIDI PREIBISIO } Glogoviensibus.  
} DAVIDI König }  
Conterraneis ac Fautoribus  
honorandis

has Positiones Logicas  
Gratitudinis & Honoris E.  
Offert & dedicat

A. & R.



05 A 315

# PROOEMIUM.

QUod feroci illi Herculis *αλεξιμανης* æmulo, Ovid. 1. 8.  
Metam.  
Fab. 2. Na-  
val. Com.  
Myth. 1. 7.  
e. 9.  
THESEO, in effugiendis, trucidato Minotau-  
ri monstro, Labyrinthi penetralibus, Ariadnæ  
Minois filiaæ filium, id intrepido sapientiaæ  
*θαριστη* contra rabiosam Sophisticaæ barbariem in  
tantâ rerum ab homine percipiendarum difficili per-  
plexitate, & perplexâ difficultate, LOGICA. *Omnis  
sine hoc filo in studiis peregrinatio miserabilis quadam  
erratio est.* Quod si simplicem animi notionem e-  
volvere est animus, en habes filum ac viam, quâ per-  
vestigas: sin â notis ad ignota te innatum sciendi ra-  
pit desiderium, en filum ac medium, quò devenias:  
si dissoluta connectere, aliud cum alio artificiosè ve-  
lis compingere, en filum & quasi subscudem, quâ  
coërceas. Et ut semel complectar omnia: *Logica in  
Labyrintho dux atq; lux est: mentis humana regina: in-  
genii lima: iudicii norma: Veritatis officina: Libitina  
falsitatis.* Quamobrem & nos non abs re facturi, si  
hac vice Terminorum Logi simplicium doctrinam  
sub placidæ ventilationis incudem revocaverimus.  
*Sit ergo ANNUENTE SUPREMO*

## POSITIO PRIMA.

Logica agit de Terminis sive Notionibus  
secundis.

### EXEGESIS.

§. 1. *Logica considerat Terminos, non (1) ut Objectum suum,  
quod sunt omnia Entia, hâc tamen formali ratione restrictâ, qua-  
senus iisdem Notiones logica secunda, potentiâ quadam obediens-*

A 2

si ali

riali imponenda, nec (2) ut Subiectum ( hoc enim est Intellectus humanus, cuius discursum informat ) neq; (3) ut Finem, ( talis est Syllogismus cum Veritatis indagazione ): sed ut Media ad Finem in Subiectum introducendum necessaria. Tali autem ordine gaudet Logica, quia est disciplina operatrix, & quoad yéve-  
ov artibus maximè respondet.

§. 2. Vocis Termini ambiguitas in primo statim vestibulo est evolvenda. Accipitur enim (1.) Grammaticè pro Nomine, tum Appellativo, ( græcè τεῖμα ) limite scil. in agro, tum Proprio, Deo nimirum Gentilium, cuius in honorem celebrabant Terminalia. (2.) Metaphysicè, pro Synonymo Entis, quatenus Intellectum nostrum ab accidentibus incipientem ultimò terminat. (3.) Geometricè, pro Magnitudinis extremo. (4.) Logicè, vel strictè, pro Extremo partim Relationis, partim Enunciationis, & pro principio Syllogismi materiali remoto: vel latè, pro quâcunquè Notione Logicâ secundâ, quo sensu describitur à CL. Scharffio, quòd sit vocabulum technicum à ratione formatum, quo Logicus (item Grammaticus, Rhetor. &c.) utitur in tradendis suis præceptis.

Euclid. 1.1.  
defin. 13.

Instit. Log.  
in Prooë-  
mio.

Instit. Log.  
D. Jac. Mar-  
tini c. 1.  
Prooëmii.  
Instit. L.  
Conr. Hor-  
næi l. 1. q. 6.  
Hab. Intel.  
Gutk, part.  
Spec, c. 7.

(3.) Termini & Notiones secunda eodem hîc nomine veniunt. Quid autem Notio prima, quid secunda, passim docetur. Prima est conceptus ab Intellectu ex re ipsâ intellectâ formatus, ut rem immediatè representet. Dicitur alias Intentio, conceptus primus. Huiusmodi habentur in disciplinis seu habitibus Principalibus. Secunda est conceptus ab Intellectu ex modo intelligendi rem formatus, ut rem, mediante notione primâ, representet. Dicitur aliàs Intentio, conceptus secundus. Tales occurrunt in habitibus Instrumentalibus v. gr. animal, homo, brutum, quia immediatè in re fundantur, notiones primæ sunt. Quæ autem ista & mentalis relatio, quæ est inter animal, hominem, & brutum, tanquam inter notiones primas, fundamentum nobis prabet ad notionem secundam constituendam, ita ut animal dicatur genus, homo & brutum respectu animalis species.

§. 4. Quicquid ergò de Notionibus secundis dicitur in actu signato, id semper intelligendum est in actu exercito, siquidem præcepta Logica de Notionibus primis, non autem secundis debent

debent verificari. *Secus si fiat, non immeritò locum inveniet trium illud: Purus Logicus h. e. qui de terminis Logicis disputat, de usu verò eorundem ne quidem cogitat, purus asinus.*

## POSITIO SECUNDA.

Terminus Logicus est vel Simplex, vel Complexus.  
Simplex est vel Consentaneus, vel Dissentaneus.

Consentaneus spectatur vel Formaliter (*in Antepredicamentis*), vel Materialiter (*in Predicamentis*.)

### EXEGESIS.

§. 1. *Terminus in generali suâ acceptione, prout est dictio, aliquem significandi modum habens, à variis variè dispecitur, ut videre est apud Petrum Hispanum, Fonsecam, Hunnaum, Mendozam. Nos hîc in specie Terminum Log. attendentes, eundem dividimus in simplicem & complexum, & methodo sanè non inconcinnâ, cum simpliciora ubiq; non tantum doctrina ordine, sed etiam natura prioritate precedere soleant, nec minus ipsius Intellectus, qui apprehensus simplicibus ad σύνθεσιν καὶ διαίρεσιν τῶν νοημάτων procedit, donec tandem λογισμὸν, ἢ διάνοιαν eliciat, operationes hîc attendantur.*

§. 2. *Est autem Terminus simplex, qui unicam habet significationem, & notat unam rem simplicem sive sit una vox, sive plures. Logicus enim non tam voces respicit, quàm res significatas. Hinc Logico simplex Terminus est: Romanæ eloquentiæ princeps: item, Apostolus in viâ Damascenâ conversus. Dividitur in Consentaneum, qui cum altero componi potest, ita ut de se invicem affirmentur, ut Animal, homo, Paulus, doctus: & Dissentaneum, qui cum altero componi nequit, adeoq; de se invicem negantur, ut sunt Opposita & Disparata.*

§. 3. *Terminus Consentaneus quoad modum seu formam predicandi consideratur in Antepredicamentis, quæ sunt instrumenta incomplexa Logica, aptitudinem predicandi in terminis simplicibus delitescentem formaliter designantia, atq; rectificantia: secundariò etiam faciunt ad Predicamentorum doctrinam:*

*Inst. L. CL.  
Scharf. l. I.  
tract. I, ab  
initio.*

A 3

quoad

quoad Materiam seu subiectum, in quod forma illa introducenda, tractatur in Prædicamentis, quæ nihil aliud sunt, quam Synonymoruz & Paronymorum exempla.

§. 4. Terminus Complexus est, qui ex pluribus simplicibus constat: e. gr. integra Oratio, de quâ in doctrinâ Enunciatorum.

## POSITIO TERTIA.

Terminus simplex Consentaneus formaliter consideratus est vel Individualis, vel Prædicabilis, seu Individuum & Prædicabile.

### EXEGESIS.

1. Categ.  
c. 2. & 1. lib.  
prior. ana-  
lyt. c. 27.  
§. 2.

§. 1. Quemadmodum Ens in Universale & Singulare, item in Communicabile & Incommunicabile à Metaphysicis; ita & Conceptus Entis, nimirum Termini, à Logicis per quandam analogiam distinguuntur, ut alter sit Universalis & Communicabilis pluribus, qui Prædicabile, alter verò Singularis & Incommunicabilis, qui Individuum salutatur. Quò & collimare videtur Philosophus, quando eorum, quæ sunt, inquit, quedam de subiecto dicuntur, quedam de nullo subiecto dicuntur.

§. 2. De Individuo autem primo tractatur loco, non ut Prædicabili quodam excellentiori, siquidem nihil minus est, cum multis nequaquam attribui possit, inq; hoc Prædicabili contradistinguitur: sed quia est fundamentum, generum ac specierum, adeò ut Individuis sublatis, nulla restent genera, nulla species.

## POSITIO QUARTA.

Individuum est Terminus simplex Consentaneus, qui non aptus est de pluribus prædicari.

### EXEGESIS.

§. 1. Individuum hîc consideramus in actu non exercito (sic enim Individua ob rationem multitudinis infinito quasi respondent, immò & corruptibilia sunt, quorum non datur scientia): sed signato:



gnato: non autem quoad modum Essendi, (sic enim est Entis affectio disjuncta,) sed quoad modum Prædicandi, quatenus Prædicabili opponitur.

§. 2. Alias vocabulum Individui est ὁμοῦνον. Notat enim (1.) id, quod nullo modo partibile, ut punctum, Unitas. Dicitur & Infinitum: (2.) id, quod, cum partes habeat, difficulter tamen divisibile, ut Adamas. Vocatur à Damasceno ἡσυχῆτον. (3.) singulare, quod in plura ejusdem nature & rationis dividi nequit, ad eod, vocatur Græcis ἀτομον, q. dicas infectile, quia respuit diffusionem in plura inferiora, de quibus naturaliter prædicari, atq, ita divisum de illis absolutè dici possit: non autem in partes phycas, ut hic homo dividitur in caput, collum, brachia, pedes &c.

§. 3. Nomen quidem Individui, (quia saltem συµαντικόν ejusdem) de pluribus prædicari potest, hoc modo: Johannes, Petrus, Paulus est Individuum. Vox Petri dicitur de pluribus Individuis, nequaquam autem Res Individua, nisi ex accidente, ut pote in Prædicatione (1.) figuratâ, Johannes est Elias: (2.) Identicâ, Johannes est Johannes: (3.) negativâ, Bucephalus non est Paulus: (4.) indirectâ & contra ordinem, Homo est Petrus: (5.) ubi notius de ignotiori dicitur, Hic est Petrus.

§. 4. Dividitur autem Nomen Individui in Signatum & Vagum. Signatum est, quod Individuum determinate notat: 1. Excellenter (dicitur ἀντονοµαστικόν) communi aliquâ voce seu Namine appellativo, ut Poëta Virgilium. 2. Descriptivè, (dicitur ὀξίφραστικόν) circumlocutione ab officio vel aliis adjunctis & circumstantiis desumptâ, ut Trojani belliscriptor Homerum. 3. Demonstrativè (dicitur δεικτικόν) pro nomine demonstrativo, quod adjectum est nomini communi, vel Substantiæ, ut hic homo, hæc avis, ego sanus, tu egrotus: vel Accidentis, ut hoc nigrum, hæc linea. 4. Propriè (dicitur ἰδιοῦνοµα) Namine proprio ex arbitrio impo-  
nentium alicui Individuo indito, ut Petrus hunc hominem. Vagum est, quod Individuum indeterminatè notat signo nimirum particulari nomini communi addito, ut Vir quidam, quidam Paterfamilias, aliquis rusticus. Sed hoc quibusdam videtur indignum consortio terminorum simplicium, eò, quòd complexum sit, cum quoad voces, tum quoad conceptus. Dum enim mens disjunctivo descensus  
multa

c.ii. Dial.

Inst. L. CL.  
Sch. l. i.  
tract. 2.  
c. i.

multa apprehendit Individua, conceptus multiplicantur: e. g. Quidam homo (est doctus) ubi Terminus Homo, non certum & determinatum aliquod notat Individuum, sed indeterminatum, unde, ac si per disjunctionem plura ponerentur Individua, ita descendo: vel hic, vel ille, vel iste homo. Vide de suppositione vaga Fonseca, Hunnæum & Philip. Dutrieu.

## POSITIO QUINTA.

Prædicabile est Terminus simplex Consentaneus, qui aptus est de pluribus prædicari

### EXEGESIS.

*Ety.* §. 1. Prædicabile dicitur à prædicando ob immediatum finem & scopum, ad quem Dirigitur, aptitudinem videlicet prædicandi secundum naturam. Omne enim Instrumentum à primario suo fine dependet, indeq; rectè denominatur, attestante Excell. D. Jacobo Martini. Aliàs venit nomine Universalis, quæ vox sano sensu est accipienda pro Universalis non Complexo, sed Incomplexo, eoque non in Cauſando, Distribuendo, Repræſentando, aut Essendo: sed in Prædicando, quod est Conceptus superior, qui de pluribus prædicari potest, ita ut in iis multiplicetur. Si itaq; strictè velimus loqui, neq; Differentia, neq; proprium, aut accidens hoc modo τὰ καθόλου sive Universalia deberent vocitari. Differentia enim non est superior iis, de quibus dicitur; est enim in collateralis lineâ. At superioritas tantùm in rectâ est lineâ. Proprium & accidens quod attinet, ea non quidditative & essentialiter de inferioribus prædicantur. Græcè vocatur κατηγορημα, ἀπὸ τῆς κατηγορεῖν, quod propriè significat accusare. Est enim vox Categoriæ sumpta è foro, atq; à subelliis Judicum ad Logicorum scamna translata. Ut enim in foro atq; judiciis actor aliquid dicit de reo, certum illi intentans crimen, ita & hic terminis simplicibus certus quidam respectus additur, ratione cujus illi apti sunt, ut de alio prædicentur.

§ 2. Quia autem Prædicabile est Terminus simplex, prima Logices operationi respondens, non debet confundi cum Complexis, qui in secundâ & tertiâ mentis operatione locum sortiuntur, adeoque

cū

Prælect.  
Antik.  
Sect. 1.  
p. 90.

*Synonym.*  
Aug. Hun-  
næ, l. 1. Log.  
p. 17. edit.  
Antwerp.

Canon.  
Logic.  
D. Hun.  
S. 2.

cum Ramais ad Topicam relegari. Nam (1) disputationes Dialectica cognitionem Prædicabilium præsupponunt: quæ enim Problema Topicum ex genere induceres, ignorans quid sit genus? (2) Aliud est Prædicabilis alicujus quidditatem explicare, vel rem, ut genus, speciem &c. considerare (ut, cum docetur, quid sit, vel si dicatur, animal esse genus speciei): aliud verò rem, quæ genus aut species est vel aliud Prædicabile, ceu Argumentum ex Locis Topicis ad aliquam propositionem confirmandam adhibere. Turpiter ergo isti Judicium (suum) cum Inventionem, vel Logices partem formalem cum materiali, item considerationem alicujus termini in actu signato cum actu exercito, adeoq; res diversissimas confundunt.

D. Jac.  
Mart. Dis-  
cu. Ramist.  
l. 1. c. 27.  
q. 1.

§. 3. Formalis ratio Prædicabilis est, quòd sit aptum (ergò non est idem cum prædicato Enunciationis, quod actu prædicatur) de pluribus prædicari: quæ distinguitur ab Individuo, quod ineptum. Hic etiam notandum venit, quod acutè monet Fonseca, non esse ab Aristotele dictum in definitione Universalis, quòd Universale sit illud, quod est actu in pluribus, sed quod aptum est, ὁ πένδυε: quomodo & nos Prædicabile definivimus, pluribus inesse, quia, etsi actu aliquod Universale sit in uno singulari, Universale tamen censeri debere, si aptitudinem habeat, ut in pluribus sit vel simul, ut homo, vel successivè, ut Monarcha, vel inesse non repugnet, ut species monadica.

Ifag. Phil.  
c. 1. Log.  
p. 591.

## POSITIO SEXTA.

Prædicabile est vel Synonymum vel Paronymum.

### EXEGESIS.

§. 1. Quicquid enim de alio prædicatur, est (1.) vel de essentiâ rei, non Constitutivè, ut pars Physica, neq; Consecutivè, ut proprium (quia utraq; de suis subjectis prædicantur paronymas): sed τεχνην & peculiariter pro eo, quod secundum rem est ipsa essentiâ, licet secundum rationem ab eâ distingui videatur, & vocatur Synonymum: (2) vel extra Essentiâ, & dicitur Paronymum.

B

§. 2.

§. 2. Ad hosce duos modos omnes Prædicationes, modò sint affirmativa, & vera, reduci possunt. Posterior conditio si desit, prior nihil efficiet: e. gr. hæ prædicationes: (Rusticus Pratenfis est doctus,) Aristoteles est indoctus, Metaphysica est ars contemplativa, sunt quidem affirmativa, neq; tamen Synonymica, quia prædicata non sunt de essentiâ subjectorum, neq; Paronymica, quia prædicata planè repugnant subjectis, cùm sint falsa.

Alsted. in  
Log. Sy-  
stem. har-  
monico.  
l. 2, c. 2,

§. 3. Peccant hîc quidam in excessu, quidam in defectu. In excessu peccant illi, qui tot constituunt Prædicabilia, quot sunt Loci Topici, quia omne Argumentum prædicari posse videtur: v. gr. causa de causato, partes de toto, circumstantia de re, quam circumstant, comparatum de comparato, dissentaneum de dissentaneo. Sed isti hallucinantur. Non enim omne, quod de alio prædicatur quocunq; modo, statim est Prædicabile, ut patet de Individuo: neq; exempla adducta quid probant. Non enim dico: Deus est mundus, sed Deus est conditor mundi, vel mundus est à Deo. Nec effari licet: Domus est fundamentum, paries, aut tectum, sed domus ex his constat. Neq; etiam colligo: Corpus esse locum aut tempus, sed in loco aut tempore. In quibus omnibus proprium prædicari, sole meridiano liquet clarius. Sic cum dicitur, Petrus est similis Johanni, accidens prædicatur de Petro. Dissentaneum quod attinet, illud non affirmativè, adeoq; etiam nec Synonymè, nec Paronymè, sed non nisi per negationem de altero dicitur. Adde quod negatio sit non Ens, quod prædicabile dici nequit, cùm hoc sit Entis conceptus.

Keck. Syft.  
Log. l. 1.  
sect. 1, c. 3.  
Scheibl. In-  
troduct. Log.  
c. 1.  
D. Martini  
Præl. An-  
tik, sect. 1.  
c. 3, p. 91.

§. 4. In defectu delinquunt isti, qui proprium & accidens Prædicabilium numero exterminant hâc ratione, cùm de Prædicabilibus Logica agat in respectu duntaxat ad Prædicamenta, quæ non nisi per genera & species, differentiam verò obliquè signentur. Sed hi primarium primæ Logices operationis scopum non attendunt. Non enim sufficit illa, quæ unius classis sunt, per supremam media, & infima ordinare, sed necessum quoq; est, quæ diversarum cellularum sunt, inter se ratione prædicationis conferre, ut non tantùm cognoscam aptitudinem prædicandi internam & essentialem, quæ est generum, specierum & differentiarum: verùm etiam externam illam, quæ propriorum est, & accidentium.

POSI-

# POSITIO SEPTIMA.

Synonymum est Prædicabile, quod de pluribus in  
QUID prædicatur.

Est vel Latius, quod de inferioribus irreciprocè  
prædicatur, ut Genus de speciebus, species de In-  
dividuis: vel Æquale, quod cum genere de specie  
reciprocè prædicatur, ut Differentia.

## EXEGESIS.

§. 1. *Synonymum derivatur Scaligero à τὸν cum, una, simul, & ὁμοια, nomen, & ita quidem, ut τὸ τὸν ea, quæ notantur  
Synonymo, non solum jungat sub nomine, sed nomen & nominis  
rationem communicet. Appellatur à Scholasticis Univocum, sed  
minus accuratè, cum Univocum sit angustius Synonymo. Datur  
enim & analogum Synonymum, ut genus analogum. Tutius ergò  
erit, monente CL. Scharffio, si cum Grecis retineamus termi-  
num, Synonymum.*

1. 4. de cau-  
fis L L.

c. 91.

Inst. L. lib.

1. tract. 1.

c. 2.

§. 2. *Synonyma autem hîc spectantur non Grammaticè, ubi  
sunt plura uni rei æquivalentia (Græcis ἰσοδυναμῶντα) imposita  
vocabula, ut ensis & gladius, gemitus & suspirium (ea Damascenus  
vocat πολυώνυμα, quibus opponit ἑτερόνυμα): sed Logicè, nec ta-  
men in significatione latiore, ubi opponuntur æquivocis; tunc e-  
nim Paronyma, si certæ & non ambiguae sint significationis, etiam  
veniunt Synonymorum nomine: sed strictiùs, prout sunt vocabu-  
la seu termini, qui essentialiter & in quid prædicantur.*

Dial. c. 33.

§. 3. *Ex quibus apparet, nos hîc non intelligere res Synony-  
mas, quæ ab Aristotele describuntur, quòd sint ea, quorum & no-  
men commune, & definitio juxta illud nomen est eadem.  
Vulgò dicuntur Univoca Univocata, qualia sunt species in genere,  
Individua in specie infimâ: sed ipsa Nomina, quibus res ita no-  
minantur, ut & nomen & definitionem eorundem suscipiant. Sic  
animal est nomen Synonymum, ratione canis, equi, bovis, hominis.  
Vocantur termini Synonymici, item Synonymum prædicabile,  
prædicatum Synonymicum, abstractum Logicum, & à Schola-*

sticis, Univoca Univocantia, licet non satis commodè, ut ex §. I. constat.

Pæd. Log.  
l. I. c. 14.  
p. 133.

§. 4. Formalis ratio Synonymi exprimitur sequentibus terminis equipollentibus: quod prædicetur I. in Quid, *ὅτι τὸ τί ἴσῃ*, seu quidditative. Ubi nota, quòd iste terminus sit technologicus, dicatq; h. l. non respectum integræ propositionis, sive responsionis ad quæstionem (ut contra vulgus Logicorum benè observat Excel. D. Jacobus Martini Præceptor noster venerandus) quid est: sed solummodò *ἔξω* ac habitudinem prædicati ad subiectum, eamq; essentialem. II. in Abstracto. III. in casu recto. IV. Essentialiter. V. Definitivè: e. gr. Virtus est Synonymum Fortitudinis, quia de fortitudine dicitur in quid, in abstracto, in casu recto, essentialiter hoc modo: Fortitudo est virtus moralis. Et tandem definitivè: Fortitudo est habitus electivus in mediocritate consistens.

§. 5. Atq; ita omne Synonymum semper importat essentialem & quidditativum respectum ad aliud, tanquam subiectum, cui etiam omnia prædicata essentialia, realia, & quæ ipsi in actu exercito conveniunt, communicat. Hinc rejiciuntur sequentia: Homo est doctus, ergò & Paulus, animal est genus, ergò & homo, ens consideratur in Metaphysicâ, ergò & Petrus: licet homo sit Synonymum Pauli, Animal hominis, & Ens Petri.

## POSITIO OCTAVA.

Genus est Synonymum latius, quod sub se habet speciem, & de pluribus specie differentibus in quid prædicatur.

Dividitur in summum & subalternum.

Summum est, quod supra se genus non habet.

Subalternum est, quod inter summum genus & infimam speciem interjacet.

### EXEGESIS.

§. 1. Genus præmittitur speciei, non ob prioritatem, (sic enim est imperfectius, quippe cum species ex genere & differentiâ, tanquam

quam partibus συστατικαῖς conflata) dignitatis: sed ob prioritatem partim naturæ, quia ut universalius, sic etiam notius, partim cognitionis, siquidem species distinctè non potest cognosci, nisi antea genus sit perspectum. Et quanquam Genus formaliter consideratum cum specie, quatenus relata sunt, de prioritate non curret, sitamen materialiter, pro re, quæ est genus, spectetur, natura generis omninò speciei naturâ prior est.

§. 2. Homonymiam vocis Generis quod attinet, consideratur illa in sensu vel Philologico, vel Philosophico. In sensu Philologico aliter sumitur Grammaticis, quibus notat affectionem Nominis sexum indicans, estq; notio secunda, & dicitur genus grammaticum. Aliter verò Oratoribus & Poëtis, quibus significat ipsam originem, quæ est vel à patriâ, vel à parente. Inde dico: Plato genere est Atheniensis, Achilles genere est Pelides. In sensu Philosophico spectatur vel generaliter, pro confusâ & indistinctâ rei alicujus notitiâ. Sic dicimur in genere aliquid dicere, quando confuse & citra ullam determinationem dicimus: vel specialiter, prout est vel Politicum, vel Physicum, vel Logicum. Politicum indicat multorum hominum ex eodem Genitore in unâ familiâ collectionem. Ita accipit loquendi Magister optimus. Si istuc, inquiens, uti facis indicium, conâre, tulum incendes genus, hoc est familiam tuam totam ad extremam miseriam rediges, quasi igne consumpta sit. Physicum innuit vel sexum, Genus videlicet Masculinum & Fæmininum, daß Männlich und Weiblich Geschlecht | vel subjectam materiam, de quâ agitur, & vocatur genus ὑποκειµένον, subjectum. De hoc illud Philosophi, ἡ δὲ μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος: & istud: Corruptibile & Incorruptibile conveniunt in eodem genere scilicet Physico, seu Subjecto.

Plaut. in Trin. Act. 3. Scen. 3.

1. Post. anal. c. 7.

§. 1. Logicum accipitur vel Impropriè, vel Propriè. Impropriè (1.) pro quovis Universali alteri communi, adeoq; & pro specie infimâ. Hoc sensu Aristoteles easdem vocat γένη ἕxατα genera ultima. Sic vulgò dicimus, esse varia hominum, herbarum, colorum genera. (2) pro congerie Individuorum unius speciei, quo sensu dicimus, genus humanum, daß Menschliche Geschlecht. Propriè autem est Synonymum Prædicabile, quod Speciei contra-

2. Metaph. c. 2. & 4.

B 3.

distin.

7. Metaph.  
c. 12. Porph.  
in Isag.

Tit. 10. Reg.  
8. de gen. &  
sp. p. 252.

CL. Sch.  
Instit. L.  
Comm. 1. 1.  
sect. 1. c. 2.  
p. 959.  
& Theor.  
Transc.  
disp. 4.  
th. 12. p. 157.

distinguitur. Et hoc genus Augustinus Hunneus dicit aliquam habere similitudinem cum genere Politico. Quemadmodum enim, inquit, istud genus multos homines ab eadem stirpe propagatos continet, ita genus Logicum multas sub se comprehendit species. A Philosopho autem comparatur Materia. Sicut enim Materia est quid indifferens & determinabile, quod determinatur per formam: ita genus est quid indeterminatum & indifferens, quod differentia determinat ad certam speciem. Alias genus & differentia non differunt realiter, ut materia & forma, sed secundum rem idem sunt, & sola ratione distinguuntur. Plura de hac Generis cum materia analogia vide sis in acutissimi Sthalii Regulis Philosophicis.

§. 4. Quando definitur genus, intelligenda est notio Generis non secunda, sed prima secunda substrata: itemque genus proprie dictum, non verò omne illud, quod stat loco generis. Vox enim Genus non dicitur de pluribus specie differentibus e. gr. non dico: Homo est genus, Leo est genus, sed verificatur de notione prima (animali), quatenus secunda subjacet, ut sit sensus: Animal (genus) predicatur de pluribus rebus, (quæ dicuntur species) ut sunt, homo, leo, taurus. Deinde etiam removetur hinc genus analogum, quod suis speciebus inæqualiter, (uni quidem  $\alpha\gamma\omega\tau\omega\varsigma$ , alteri verò  $\delta\epsilon\upsilon\tau\epsilon\rho\omega\varsigma$ ) attribuitur, estque nihil aliud, quam Conceptus analogicus, de quo in Metaphysicis.

§. 5. Genus dicitur Synonymum latius, respectu inferiorum, quæ vel directe, ut species (immediate) & Individua (mediate) vel indirecte, ut differentias (à latere) respicit, adeoque etiam cum iisdem reciprocari nequit. Sic dicimus quidem, Homo est animal, Petrus est animal: sed non quicquid est animal, est homo, vel est Petrus. Et per hanc conditionem genus distinguitur. 1. à definitione, quæ etsi predicetur etiam in Quid, nempe de definitione, tamen non est Synonymum; est enim terminus complexus: neque latius, quia conversim de definito predicatur. 2. à differentiâ, quæ quidem est Synonymum, quia predicatur essentialiter & in quid de specie suâ, non autem latius, quia conversim (juncta sc. generi) de specie predicatur.

§. 6. Com-



§. 6. Completa Generis descriptio ex duplici, quem habet, respectu desumpta est. Prior, ex naturâ Relatorum. Ut enim species definitur, quod sub genere contineatur, ita vicissim genus, quod habeat sub se speciem, quia relatorum Esse in mutuo ad se invicem respectu consistit. Posterior, ex modo Prædicandi, quod in Quid de pluribus prædicetur. Plura autem ista sint distincta. 1. Essentialiter. Hinc Calor, qui (1) in quid (2) ut latius & irreciprocè de calore ad gradus duos, & calore ad gradus sex prædicatur, nõ est horum genus, quia isti calores non distinguuntur essentialiter, sed saltem per magis & minus, quod est discrimen accidentale. Eodem modo prædicatur animal de mare & fœminâ. 2. Per differentias suas e. gr. quando Ens distinguitur in Simplex & Compositum, Ens nequaquam est genus simplicis; alias enim simplex non esset simplex, sed compositum, quia genus (Ens) haberet differentiam. At quæ genus habent & differentiam sunt composita.

§. 7. Genus prædicatur in Quid, non completè, ut Species, nec absolutè, ut Definitio, neq; distinctè, ut Differentia: sed confusè, prout est totum quoddam confusum & universale, confusè indicans totam speciei quidditatem, partesq; potentialiter sibi subjectas continens. Et quidem primò prædicatur de pluribus speciebus, si non actu semper, potentiâ tamen. Nam e. gr. animal est genus, & tamen ante creationem hominis conservabatur in unâ tantum specie, sc. bruto, & post extremum iudicium similiter actu non inerat pluribus speciebus, sed salvabitur in solo homine. Sufficit igitur potentia, sive natura in plura multiplicabilis. Deinde, quando genus Porphyrio dicitur de pluribus specie diversis prædicari, id ipsum non tantum de speciebus diversis, ut sunt homo, brutum, sub uno genere, sed etiam de Individuis specie differentibus, ut sunt Bucephalus, hic homo, hic canis, hæc avis &c. & de illis quidem proximè, de his verò remotè, intelligendum est. Tertiò an etiam genus de differentiis prædicetur non immeritò queritur: quo d tamen (1) non nisi contra ordinem & indirectè fieri affirmamus, ut in his: Rationale est animal, disgregans visum est albedo, quia terminus absolutus & substantivus de adjectivo & denominativo prædicatur. Neq; (2) id in Quid fieri posse dicimus, cum genus in differentiâ non includatur. Nam omne quod de alio in quid prædicatur, in ra-  
tione

Scheibl.  
Introd.  
Log. c. 3. q. 1.  
p. 240.

tione & essentiâ ejus includatur, oportet. At genus & differentia sunt Conceptus formaliter contradistincti, ex quibus species secundum rationem & nostrum concipiendi modum componitur.

Porph.  
Irag. c. 3.

§. 8. Quandoquidem autem in unaquaq; Categoriâ sunt quedam generalissima (ut Summa genera), quedam specialissima (ut species infimæ), quedam etiam intermedia, quæ inter extrema illa, summum sc. & infimum, interjacent, (ut genera & species subalternæ): etiam à Porphyrio genus dividitur in Summum, quod semper tantum genus est, & nunquam fit species, (dicitur generalissimum in ordine Prædicamentali, qualia sunt decem summa genera) & Subalternum seu Intermedium, quod in relatione ad inferiora nomen & rationem generis, in respectu verò ad superiora nomen speciei sibi vendicat. Dicitur Medium, non in Proportionem, quale est virtus inter duo Extrema, nec in Participatione, quale est viriditas inter albedinem & nigredinem, nec in numeratione, ut duo inter unum & tria: sed in Prædicatione, ut ex definitione patet. Hoc ipsum dividunt in remotum, quod longius à specie distat, & proximum, quod proximè sub se habet speciem. Sic Corpus est hominis genus remotum, animal verò proximum.

## POSITIO NONA.

Species est Synonymum latius, quod sub genere (proximo) collocatur, & de pluribus numero diversis (immediatè) in Quid prædicatur.

Dividitur in Subalternam & Infimam.

Subalterna est, quæ inter Summum genus & infimam speciem interjacet.

Infima est, quæ infra se speciem non habet.

### EXEGESIS.

§. 1. Species, quia tàm Φύση, (est enim inferior) tàm cognitione, (hæc enim si sit distincta, ex præcognitione generis dependeat) genere posterior, causâ facilioris doctrinæ eidem optimè subnectetur.

§. 2.

§ 2. *Vox speciei non uno sumitur modo. Sed vel generaliter, vel specialiter. Generaliter notat formam cuiusque rei, sive sit Substantialis, & dicitur essentia rei, ut anima humana dicitur εἶδος hominis: sive accidentalis, estque hæc partim forma externa, vel pulchritudinis, quæ secundum Ciceronem est apta membrorum figura cum quadam coloris suavitate: vel totius Corporis, ut species hominis, leonis, Columba: partim imago, sive sculpta ab artifice, rem vel veram efformans, vel non (græcis εἰδωλον,) sive recepta à mente & dicitur species sensibilis, species intelligibilis, de quâ Physici. Specialiter sumitur (1.) Ethicis pro probabilitate, quæ veritati opponitur. Germ. Ein Schein: Ita capitur à Livio in illo axioma: Vera potius, quàm dictu speciosa dicenda sunt. (2.) Grammaticis pro accidente seu affectione vocum communi, quâ disquiritur, sitne vox primitiva, an derivativa? & sic est notio secunda. (3.) Logicis tum Impropiè; vel Aristoteli, pro Individuo speciem habente, quando Individua vocat εἴδη b. e. formas seu naturas plenè & ultimò definitas, ita ut amplius restringi non possint: vel Ramo, pro omni eo, de quo aliud superius directè prædicatur, quomodo & Individua species ei dicuntur, adeoque species infima & Individuum equipollent: tum Propriè pro Synonymo Prædicabili, generi contradistincto.*

Arist. 1.2.  
Phys. c. 3.  
text. 28.

Cic. 4. Tu-  
scul.

l.1. de part.  
anim. c. 4.

Ram. l.1.  
Dial. c. 27.  
& lib. 3.  
sch. dial.  
c. 4.

§ 3. *Et species hic definitur non formaliter, quæ species est, sed materialiter, pro re secunde isti notioni substratâ, accepta. Logicæ enim intentiones, ut supra diximus, non sunt avulsæ à rebus, sed ita rebus immersæ, ut earum definitiones de rebus ipsis verificentur. Dicitur Synonymum latius, respectu inferiorum sc. Individuorum, quibus cum nequit converti. Cetera descriptionis verba duobus constant membris. Unum, quod ex naturâ Relatorum est desumptum, omnibus speciebus, tam subalterne, quàm infimæ, potissimum tamen subjicibili competit. Alterum, quod ex modo prædicandi ortum, specialissima, id est, infimæ tantum, ut & prædicabili, quæ ambæ de Individuis immediatè prædicantur, convenit.*

Zabar. l.1.  
de Nat.  
Log. c. 19.

§ 4. *Hinc apparet, istas speciei distinctiones planè easdem, ex duplici tamen respectu diversas fortiri appellationes. Ratione enim*

Prædi-

Prædicationis species distinguitur in Subjicibilem & Prædicabilem. Subjicibilis est, quæ tantum sub genere collocatur, & nunquam de Individuis prædicatur. Hinc prædicabile non constituit, sed est notio simplex, generi ( ceu correlato, per quod rectè definitur, nec tamen circulus committitur, cum sit definitio eorum, quæ ad aliud sunt ) subordinata, de quâ illud Synonymos prædicatur. Cum hac species Subalterna, quæ itidem in respectu ad superiora species improprie ( cum non prædicetur de Individuis ) dicitur, planè coincidit: ab eadem tamen discrepat, ob respectum, quem ipsa subalterna species ad inferiora habet, ubi titulo generis gaudet. Prædicabilis verò est, quæ non tantum sub genere proximo collocatur, sed immediatè etiam de Individuis prædicatur. Atq; talis est species infima. Ratione autem ordinis, quem in arbore, ut vocant, Prædicamentali habet, Species dissepitur in Subalternam & Infimam, de quibus modò diximus.

D. Hun.  
Can. L. c. 2.  
th. 41.

CL. Sch.  
Metaph.  
Exempl.  
l. 2. c. 1. p. 43.

§. 4. Hæc species Infima i. e. specialissima, nunquam potest fieri genus, sed tantum est species, ideoq; dicitur ἐξ αὐτοῦ εἶδος, extrema species. Et sola (1) prædicatur non mediatè, ut Genus, quod, mediante specie, de pluribus Individuis dicitur, sed immediatè, & quidem (2) de pluribus, non semper actu, sed potentiâ, quod de speciebus monadicis, quibus multiplicabilitas in plura singularia non repugnat, observandum: (3.) differentibus, non genere, ut sunt, tum diversa genera, (substantia, qualitas) tum, quæ sub his continentur ( animal, habitus ) neq; specie, ut diverse species ( homo, equus ) & harum Individua ( Paulus, Bucephalus ): sed (4.) numero, ut unus alicujus speciei Individua, quæ aliter inter se differre non posse, quàm inter numerandum, statuuntur, si nimirum Essentia in iis spectetur; quodlibet enim eorum unitate numericâ est determinatum.

## POSITIO DECIMA.

Differentia est Synonymum æquale, quod genus in oppositas species dividit ( ut divisiva ), & cum eodem certam constituens speciem ( ut constitutiva ) in quale quid prædicatur.

E X E G E S I S

EXEGESIS.

§. 1. Qui speciem, ut compositum quoddam considerant, generi statim, tanquam parti materiali, differentiam, ut partem formalem, subjiciunt. Nos nemini bellum indicentes sequimur ductum CL. Præceptorum nostrorum, & generi ex naturâ relatorum, specie subnexâ, addimus differentiam.

Bartol. in Enchir. Log. D. Hun. in Can. L. c. 2, th. 33.

§. 2. Definitum est ambiguum. Politicis enim & Jctis significat controversiam, quæ est inter diversas partes. Hinc dicimus in vernaculâ nostrâ de aliquibus, inter quos animorum sunt dividia, sic stehen in differenz mit einander. Metaphysicis diversa differentiâ sunt, quæ per differentiam superadditam distinguuntur, quamvis in eodem genere conveniant, ut diversa species, Leo, homo: item diversa individua, per differentiam numericam distincta. Logicis autem in genere est, quâ aliquid ab alio, vel etiam à semetipso differt quocumq; modo. Sic idem homo differt à seipso, cum erat puer, & quando vir factus est. In specie est vel accidentalis vel essentialis. Diff. accidentalis est, quâ aliquid differt ab alio per accidens quoddam, sive proprium illud fuerit, sive commune; & hoc sive separabile, sive inseparabile. Sic differt per proprium, latrare, canis ab alio bruto: per accidens separabile doctus ab indocto, ebrius à sobrio: per accidens inseparabile, albedinem nimirum, cygnus à corvo nigro, nasus simus ab adunco. Diff. Essentialis est, quâ unum differt ab alio per essentiam propriam. Sic homo differt per τὸ λογικὸν à bruto, in quo est τὸ ἀλογον. Et hæc propriissimè est differentia, quæ specifica vocatur, conjuncta q; generi speciem procreat.

CL. Scharf. in Metaph. Exemp. lib. 2. c. 15.

Ifag. c. 4.

3. Desumitur hæc differentia (1.) à formâ materiæ conjunctâ. Sic respectu hominis rationale est differentia. (2.) à proprio, ubi formæ nos latent. Similes hinc certe mendicis in transitu ades divitum, h. e. opera DE I intueri, cum vulpeculâ Scaligeri exteriores partes lambere, nempe ex affectionibus rerum de essentiis earundem judicium facere ut plurimum & per propria differentias, à quibus profluunt, quodammodo expiscari, tenemur: ubi autem ad ipsam formam accessus non conceditur, illa in rerum de-

Gutk. in Synops. Log. c. 2. tit. Synon. D. Jacob. Martiui Inst. L. 1. c. 3. Can. 6.



fruitionibus, differentiis substituere cogimur. Sic in Physicis, quæ forma cæli, stellarum, elementorum, & reliquorum corporum mixtorum formæ specificæ (exceptâ unicâ unius homini) ferè omnes nos latent, ad propria omninò recurrendum est. (3) à Causâ finali, potissimum in rebus Instrumentariis, quomodo Logicæ forma est verum à falso discernere. (4) ab Objecto, in habitibus principalibus, quo sensu, contemplari corpus quantum, quatenus quantum, est differentia Mattheseos.

Pæd. Log.  
l. I. c. 14.  
p. 127.

§. 4. Differentia dicitur Synonymum æquale, quia reciprocè de specie in Quid predicatur, sed non nisi addita generi, quod per se sumtum est ἀοριστον, adeoq; adveniente differentiâ, contrahendum, & ad certam speciem limitandum. Undè accuratè loquendo juxta differentiæ predicationem, homo non dicitur rationalis, sed rationale, nempe subaudito animali, ut sit sensus completus: Homo est rationale animal. Itaq; rationale, quatenus est differentia, juxta sensum logicum in neutro genere de homine predicatur. Grammaticus quidem, inquit Præceptor noster Excel., argueret constructionem illam vitii: verum judicet sic suo judicio, sed præter suum, non alieno. Logici sciunt, quòd rationale, tanquam differentia specificæ de specie immediatè predicari non debeat adjectivè, (in concreto, ut Paronyma) & sic in masculino genere; est enim ἀδολεξία, & respondet predicatio ista (Homo est rationalis) illi: animal rationale sst rationale.

§. 5. Notanter autem dicitur, quòd Differentia Synonymus predicetur de specie suâ, quam formaliter constituit, adeoq; ejus primaria quidditas est. Quando enim refertur ad genus, quod limitat, determinat & dividit, in Quale h. e. paronymus predicatur. Sic rationale quidditativè dicitur de homine, sed qualificativè de animali. Non qualificativè - accidentaliter, ut fit in accidentibus communibus, sed qualificativè essentialiter: non consecutivè, ut propria, quæ essentiam subjecti consequuntur, sed constitutivè, quia essentiam speciei constituit.

§. 6. Hinc nata est divisio, quâ differentia, non re, sed ratione saltem ex duplici, quod habet, officio distinguitur in Divisivam, respectu generis, quod dividit, & in Constitutivam, respectu speciei, quam

quam addita generi efficit. Hæc vicissim in (1) Generalem, quæ speciem subalternam, ut sentiens, (2) Specialem, quæ speciem specialissimam, ut rationale, & (3) à quibusdam in Individualem, quæ Unum numero, ut hoc rationale respectu Petri, constituit, distinguitur. Non secus ac forma dispefcitur in genericam, quæ dat esse genericum, & specificam, quæ dat esse specificum, & numericam quæ dat esse Individuum seu singulare. Sic v. gr. anima sentiens, forma generica, rationalis, specifica, hæc ipsa, numerica, respectu Petri dicitur. Illa enim dat esse Petro, ut sit animal, ista ut sit homo, hæc deniq; ut hic homo sit, & non alius.

§. 7. Constituit itaq; speciem sola differentia specifica, quia, uti essentialis est, ita quoque rem planè aliam facit, & τὸ ἄλλο aliud, diversum sc. essentialiter: non verò ἀλλοίον varium quoddam, sive alterum sc. accidentaliter constituit. Similiter ex Damasceno distinguuntur alius, & aliud. Alius diversitatem ἰσοστάσεως seu Personæ, aliud verò diversitatem essentia significant. Quo modo & Totum in Neutro notat Naturam, in Masculino Personam.

EL. Schorf,  
Inst. L. 1. 1.  
tract. 2. c. 4.  
Can. 2.

## POSITIO UNDECIMA.

Paronymum est Prædicabile, quod de subiecto in Quale prædicatur.

Est vel Æquale, quod de subiecto suo reciprocè prædicatur, ut Proprium: vel Latius, quod de subiecto suo irreciprocè prædicatur, ut Accidens.

### EXEGESIS.

§. 1. Notationem Paronymi quod concernit, suppeditat eam nobis Scaliger his verbis: unde orta sunt τὰ παρωνύμια, quæ ὠδὴ ἔτεργον derivarentur, sola terminatione à priori (scil. à quo derivantur) differentia. Latini denominativa commodè vocârunt. Sic dulce pomo tribuitur ὠδὴ ἔτεργον, nempe beneficio dulcedinis, à quâ dulce derivatur.

l. 4. de causis LL.  
c. 91.

§. 2. Alias definitionem Aristotelis ita explicare solent: Paronyma sunt, quæ ab alio sunt derivata, per quòd denominant

sua subiecta, & idem habent initium, diversum vero finem. Id enim est casu differre. Quae tamen descriptio agit de potissimo Paronymorum analogato, nempe de iis, quae re & voce simul sunt denominativa, ut concreta & nomina aliunde derivata. Non enim semper requiritur, ut secundum vocem & Grammaticè sint derivata, sed secundum rem & Logicè. Sic Petrus dormit per & propter somnum, Johannes est probus ob virtutem.

§. 3. Tria enim in Paronymis communiter occurrunt, quibus exprimuntur. (1) Denominatum, quod est ipsum subiectum, per formam denominantem expressum: ut homo, nix. (2) Denominans (item abstractum, absolutum) quod simplici significandi modo solam formam denotat: ut doctrina, albedo. Hinc denominatio est vel Intrinseca, quando forma denominato inheret, ut nix est alba, homo est doctus: vel Extrinseca, quando forma extra denominatum est constituta, ut paries videtur, pecunia amatur, Sol illuminat: (3) Denominativum (item Concretum, connotativum) quod composito significandi modo & formam & subiectum denotat, ut album, doctum. Istud est triplex: I. voce tantum, quod convenit cum abstracto seu denominante quoad dictionem, sed differt quoad significationem, ut somnolentus & somnus, humanus & homo. II. significatione tantum, quod convenit quoad significationem, differt tamen quoad dictionem: ut probus & virtus, dormiens & somnus. III. Voce & significatione simul, quod utringque cum denominante convenit (sc. ab initio dictionis, licet finali terminatione seu casu discrepet) ut album & albedo.

§. 4. Si verò universaliter naturam Paronymorum explicare voluerimus, ita ut omnes praedicationes Synonymicae ad illam examinari possint, insistendum esse putamus Excell. Dn. D. Jacob. Mart. verbis, quibus accuratè inculcat, quòd omne illud praedictum, quod dicit inesse, sit denominativum. Sicut enim id, quod inest, non ipsa essentia est, sed essentiae aliquid superaddit: ita quoque Paronymum non ipsam essentiam, sed aliquid in essentia extrinsecus quasi denominat. Hinc generatim à CL. Scharffio, Praeceptore nostro honorando, definitur, quòd sit notio Logica generalissima, ostendens praedicandi aptitudinem in iis, quae non-essentia- liter

Curs. Phil.  
disput. 3.  
th. 10.

Instit. L.  
Comma. 1. 1.  
sect. 1. c. 4.  
p. 971.



liter se mutuò respiciunt: seu Prædicabile, quod de subjecto in Quale prædicatur. *Alias vocatur Concretum Logicum.*

§. 5. *Formalis ergò ratio Paronymi consistit in eo, quòd de Subjecto suo prædicetur I. in Quale, quod h. l. non est Essentialis, de quo supra in defin. Differentiæ, neq; id, quod continetur in Prædicamento Qualitatis: sed est Terminus technologicus, & significat prædicatum, quod non ingreditur internam naturam & essentiam subjecti, sed extra illam manens, eam afficit more qualitatum. II. In Concreto. Sic dico corpus est quantum, homo est risibilis: non autem in abstracto: corpus est quantitas, homo est risibilitas: nisi fortè in prædicationibus 1. quæ fiunt ὡς ἂν ὄντων, ut animal est homo, homo est Petrus: 2. vel quando Concretum obliquo casu abstracti circumseribitur, hoc modo: corpus est quantitate præditum: homo est risibilitate affectus. Aliàs Concretum occurrit quadruplex: (1) Grammaticum, quod nihil aliud est, quàm nomen adjectivum, ut doctus, albus. (2) Logicum, quod dicit aliud quid à subjecto distinctum esse in subjecto: sive alias Grammaticis sit concretum, ut adjectiva Nominalia & Participalia, (albus legens) sive etiam abstractum, utpote Nomina officiorum personam includentia (ut Pater, Filius, Soror, Pastor, Orator & c.) sive verba Indicativi modi, ut docet, audit, quæ in concreta resolvi possunt. Et hoc est ipsum Paronymum Logicum: Hinc prædicationes paronymicæ dicuntur concretivæ. Quæ etiam in acceptione intelligendus est Canon Logicus: quòd ea, quæ Physicè loquendo per naturam suam realem sunt abstracta, sæpè sint concreta logica in prædicationibus concretivis. v. gr. Corpus, animal, homo physicè sunt abstracta, quorum concreta dicuntur corporeus, animalis, humanus: sed in prædicationibus non rarò sumuntur, ut Concreta, ut in his: quedam substantia est corpus, quoddam vivum est animal, quoddam animal est homo. (3) Physicum, cum totum & pars, item subjectum & adjunctum in uno conveniunt, ut Musicus, capitatus. (4) Metaphysicum, quod notat formam cum subjecto, ut album, nigrum. III. In casu obliquo. Sic non dico: Johannes est doctrina, sed ita: Johannes habet doctrinam, Johannes est doctrinâ imbutus: item Petrus est in auditorio. Ratio hæc, quia prædicatæ*

Can. L.  
D. Hunnii  
c. 7, th. 19.

ista

ista sunt ἐτερογενῆ cum suis subjectis, (hæc enim sunt Substantiæ )  
 quæ non nisi paronymως & in casu obliquo prædicantur. IV. Per ac-  
 cidens, qui terminus hæc reliquis equipollet, licet aliquando prædi-  
 catio per accidens seu accidentalis sumatur specialiter pro contin-  
 genti, sive eâ, quæ constat accidente prædicabili: hoc tamen loco su-  
 mitur generaliter pro omni Paronymo, ita, ut non tantum acci-  
 dentia communia, sed etiam propria per accidens prædicentur.  
 V. Extraessentialiter e.gr. quando dico: Quoddam animal est ho-  
 mo: prædicatum homo, uti est extra essentiam animalis, ita aliquid  
 diversum est à subjecto, animali, adeoq; rectè dicitur concretum lo-  
 gicum.

## POSITIO DUODECIMA.

Proprium est Paronymum æquale, quod de Subje-  
 cto in Quale necessariò prædicatur.

### EXEGESIS.

§. 1. Proprium præcedit accidens commune. Nec immeri-  
 to; hoc enim est contingens & actus, illud necessarium & poten-  
 tia: hoc non-reciprocum, illud reciprocum: hoc essentiæ planè ex-  
 trinsecus advenit, illud verò essentiæ constitutionem immediatè se-  
 quitur.

§. 2. Vocis proprii acceptio potissimum est duplex: Generalis,  
 pro quovis non communi, & secundum hunc sensum cum variis  
 rebus complicatur: ut propria causa, proprius effectus, pars propria,  
 objectum proprium &c. & specialis, quæ iterum quadruplex.  
I. Grammatica, estq; nomen, quod uni soli rei convenit, ut Petrus,  
 Albus, & tùm opponitur appellativo. Hinc istud: Nomine proprio ali-  
 quem salutare & compellare, quod, veluti eruditissimum pectus,  
 Janus Douza, in Plautum notat, apud veteres erat contemtibile.  
II. Rhetorica, ubi est id, quòd in nativâ sua significatione usur-  
 patur: & sic opponitur modificato seu figurato. Hoc sensu dici-  
 tur, verba in definitionibus debere esse propria, non figurata.  
III. Oeconomica, & sic est id, quod ad familiam sive domum,  
 items,

item ad facultates & usum fructum alicujus pertinet. Hoc proprium  
Graecis vocatur οἰκειον, cui opponunt τὸ ἀλλοτῆρον, alienum. No-  
strates appellant eigenthsümlich. Unde Cicero: id, inquit, cujusq;  
est proprium, quo quisq; fruitur, atq; utitur.

§. 3. IV. Logica, vel in doctrinâ Demonstrationis, ubi do-  
cetur, quod principia Syllogismi necessarii debeant esse propria, non  
aliena: vel in Topicâ, ubi proponitur problema seu questio proprii:  
vel in ratione prædicandi, tum pro quovis essentiali reciproco, sive  
sit integra definitio, sive differentia tantum: tum pro Paronymo. Ubi  
iterum consideratur ut Imperfectum, ut Perfectum, & ut Perfe-  
ctissimum. Imperfectum est proprium vel primi modi, quod  
soli speciei, sed non omnibus ejus Individuis accidit. Ut medicum,  
Philosophum esse. Quod tamen proprium dicitur valde abusive,  
cum potius sit accidens. Interim tamen pro potentiâ acceptum  
fit proprium quarti modi; ut posse Philosophum esse, posse medicum  
esse: vel secundi modi, quod omni quidem Individuo (alicujus  
speciei) sed non soli (speciei) convenit: ut bipedem esse convenit  
quidem omnibus hominibus, sed non tantum, cum & aves sint bipe-  
des. Dicitur ab Aristotele ἰδιον πρὸς ἕτερον, proprium compara-  
tum, seu in collatione ad aliud: & dicit differentiam vel in omni-  
bus & semper, vel plerumq; & in plurimis. Perfectum est ter-  
tii modi, quod soli speciei & omnibus ejus Individuis, sed non semper  
convenit. Sic proprium est catulo videre, sed non ante nonum  
diem: plantæ, florescere in vere, deflorescere in autumno: homini,  
actu flere. Unde vocatur ποτὲ ἢ νῦν: interdum & nunc.

1.5. Top.  
c. 1. §. 4.

Arist. 1. 1.  
Top. c. 15

§. 5.

§. 4. Perfectissimum est quarti modi, καὶ ἐξοχὸν & absolute  
proprium, quod soli speciei, omnibusq; ejus Individuis, ac semper  
convenit, & in quale necessario prædicatur: ut visibile homini.  
Vocatur aliàs proprietas, proprium attributum, ἰδιον πᾶσι, idio-  
ma essentialè, affectio. Omnes autem dicti quatuor modi nequa-  
quam in communi aliquâ definitione & omnibus proprii condi-  
tionibus convenire possunt, cum ista distinctio non tam realis, quàm  
ambigui resolutio sit. Itaq; cum proprium in quarto modo uni-  
cè hic attendatur, & de ipso nostra intelligenda venit defini-  
tio.

D

§. 5. Et

Inst. L. Cl. §. 5. Et diffinitur in ἴδιον πρὸς κατὰ φύσιν seu Prædi-  
 Scharf. l. 1. cationis, & in illud, quod est πρὸς ὑπαρξίν seu Existentiæ,  
 tract. 2, c. 5. Prius tribuitur subjecto, ut proprium quarti modi, quamvis in se  
 p. 187. sit Substantia, utpote pars essentialis vel integralis alicujus totius  
 Excel. D. e. gr. anima & animatum est proprium corporis vivi: anima ra-  
 Mart. Inst. tionalis hominis: materia & forma corporis. A Zabarella vo-  
 L. 1, 1, c. 4. catur conditio essentialis, quæ planè non idem est, quod essentia;  
 in Prooem. est enim τὸ πρὸς τῆς οὐσίας. Quare licet terminus sit essen-  
 ad lib. 1. tialis, modus tamen considerationis est paronymicus: e. gr. hæc præ-  
 post, Anal. dicatio: homo constat corpore organico & animâ rationali, est  
 paronymica & propria, quia explicat τὸ πρὸς ἴδιον τῆς ἀνθρώπου  
 πύτητος. Posterius subjecto (inhabitionis) inest, ejusq; essentiam  
 consequitur, ut accidens proprium: v. gr. calor ignis, humor aquæ,  
 vis trahendi ferrum magnetis, latratus canis.

§. 6. Proprium definitur per Paronymum æquale, quia cum  
 specie (non verò Individuis) reciprocatur, ratione sc. suppositi, ita  
 ut, ubi inveniatur species, ibi etiam inveniatur proprium. Non au-  
 tem convertitur ratione essentia, quia sunt unum & idem subje-  
 ctum & proprium ejus. Prædicatur I. non actu scil. secundo,  
 sed potentiâ, seu actu primo. Sic quando ridere tantum dici-  
 tur esse proprium hominis, intelligitur non de actu, seu risione,  
 verum de potentiâ seu risibilitate. Ideò non minus risibilis o-  
 mnia flens Heraclitus, quàm omnia ridens Democritus: nec  
 minus flere potuit hic, quàm ille. II. de Subjecto, tum specie, cui  
 immediatè, tum omnibus ejusdem speciei Individuis, quæ im-  
 mediatè, inest. Sic quia homo est risibilis, Petrus & Paulus ta-  
 lis est. Secus res se habet in accidentibus communibus, quæ pri-  
 mariò individuis, secundariò autem speciei insunt. Sic, quia Pla-  
 to est doctus, & homo est doctus. III. In Quale necessariò  
 seu per se. Ergò quale hîc intelligitur non constitutivum (de quo  
 supra), sed consecutivum: non contingens (de quo mox), sed necessa-  
 rium. Hinc proprium nequaquam à subjecto suo abesse potest.  
 Nam qui negat proprium, negat rem ipsam.

Inst. L.  
 D. Mart.  
 l. 1, c. 4, Ca-  
 non, 6.

POSI-

# POSITIO DEC. TERTIA.

Accidens est Paronymum latius, quod de sub-  
jecto in Quale contingenter prædicatur.

## EXEGESIS.

§. Si ulla vox est, quæ ambiguitatum intricata Meandris,  
vox ipsa Accidentis est. Varii variè easdem evolvunt. Nos sic  
procedemus. Accidens accipitur vel Impropriè, vel Propriè. Im-  
propriè pro non-ente seu nudâ entis apparentiâ, quomodo So-  
phista dicuntur versari circa accidens. Inde fit, ut accidens et-  
iam non-entis cognomentum fuerit indeptum: nec tamen absolutè,  
sed comparatè, quandoquidem saltem innuitur, quòd accidens non  
sit tam nobile ens, atq; est Substantia. Quò respiciens Scaliger  
accidens non vocat non-ens, sed propinquū non-enti. Propriè capitur  
vel laxiùs, pro omni eo, quòd alicui convenit, etiam extra essen-  
tiam, quodcumq; tandem sit, sive substantia, sive accidens, sive ens  
rationis, sive privatio: quâ ratione vestis dicitur accidere corpo-  
ri, genus animali, cæcitas oculo: vel pressiùs, & quidem aliter  
Phyfico, aliter Metaphyfico, aliter tandem Logico. Phyfico  
est id, quòd evenit præter intentionem agentis, & dicitur causa  
per accidens, eaq; gemina, in agentibus  $\kappa$   $\omega$   $\rho$   $\epsilon$   $\sigma$   $\tau$   $\omega$   $\varsigma$ , ut For-  
tuna: &  $\alpha$   $\nu$   $\lambda$   $\omega$   $\rho$   $\epsilon$   $\sigma$   $\tau$   $\omega$   $\varsigma$ , ut Casus. Metaphyfico est (1) Di-  
stinctio entis nominalis, & dicitur ens per accidens ratione vel  
Causæ, quòd cum Phyfico coincidit: vel Unionis, quòd accidenta-  
liter ex pluribus rebus est compositum ( dicitur alias complexum,  
concretum): vel Subiecti, quòd non semper & necessariò, sed ali-  
quando saltem subiecto convenit. v. gr. eclipsis Soli, eruditio homi-  
ni. Hoc concordat cum accidente Log. prædicabili. (2) Species  
quasi entis, Substantiæ contradistincta.

§. 2. Logico accidens est triplex: 1. Topicum, & vocatur  
Problema seu questio accidentis: 2. Prædicamentale, quòd Sub-  
stantiæ opponitur, & significat omne, quòd alteri inhaeret, sive illud  
sit proprium, sive accidens. Hoc autem perpenditur sub ratione  
saltem generis & speciei: sic color est genus albedinis, at non est

D 2

accidens

Scheibl, In-  
trod. Log.

C. 5.

Exerc. 10.

Privatio etc.  
non sunt Acci-  
dent. vid. Bar-  
thol. p. 83.

accidens predicabile. 3. Prædicabile, quod opponitur proprio, est q̄  
omne id, quod subiecto suo & convenire & non convenire potest,  
sine ejus repugnantia. Hoc ipsum potest esse vel substantia, vel ac-  
cidens prædicamentale: e. gr. quando dico: animal est homo, ter-  
minus homo est accidens prædicabile respectu animalis, de quo  
contingenter dicitur, licet aliàs sit substantia. Ex quâ distinctio-  
ne apparet (1) non omnia accidentia prædicamentalia esse  
quoq; accidentia prædicabilia, quia illorum etiam sunt genera,  
species ac differentia, quæ sanè ad accidentium prædicabilium  
classem à nemine detrudentur, v. gr. cum dico: linea est magni-  
tudo, temperantia est virtus, nigredo est color: nequaquam acci-  
dens prædicatur de subiecto, sed genus de specie. (2) non omnia  
accidentia prædicabilia esse prædicamentalia, quia pili, vestes, la-  
pis, aurum, triticum, sunt accidentia prædicabilia, in hisce prædica-  
tionibus: Johannes est pilosus, est vestitus, mensa est lapidea, po-  
culum est aureum, panis est triticeus: quæ tamen omnia in substan-  
tiarum ordine comprehenduntur.

S. 3. Definitur Accidens per Paronymum latius, quia cum  
subiecto, de quo dicitur, non convertitur. e. gr. Johannes est do-  
ctus, non autem reciprocè, omnis qui doctus est, est Johannes,  
quia & Paulus vel aliud Individuum potest doctum esse. Prædica-  
tur autem I. non potentiâ, ut proprium, sed actu, ut cum dico,  
Petrus dormit, ubi non intelligenda est ipsa potentia ad somnum, sed  
actio, quando actu dormit Petrus; quia hæc contingenter prædicatur  
de subiecto. II. de Subiecto, tum Individuo, tum specie: illi tribui-  
tur primariò: huic secundariò. Sic primariò Plato est doctus, hinc  
homo. Ratio differentia est, quia propria habent causam adequatam  
in specie, accidentia verò non, sed contingenter sunt in Individuis.  
III. In Quale contingenter, Prædicatur in Quale, quia est Parony-  
mum: contingenter autem, ut à proprio distinguatur. Vulgò definitur,  
quod adesse vel abesse possit absq; subiecti interitu. Ubi intelligatur  
Subiectum non Physicum, seu inhesionis, sed Logicum seu prædicatio-  
nis: deinde præsentia & absentia Logica, non Physica. Est id, quod  
affirmari & negari potest de subiecto Logico, non negato ipso subje-  
cto: & quidem in concreto, ut formalis ratio Paronymi indicat. Sic  
dico, paries est albus, non autem albedo. S. 4.

§. 4. *Dividunt Accidens in Separabile & Inseparabile. Separabile est, quod reipsâ à subjecto suo, cui actu inhaeret, separari potest, ut albedo à pariete, eruditio ab homine, nigredo à tabulâ. Inseparabile est, quod reipsâ à subjecto suo separari nequit, licet per operationem intellectûs, salvâ manente subjecti essentiâ, abstrahi possit: ut simitas à naso, albedo à lacte, nigredo ab Æthiope. Confer Excell. D. Jac. Mart. Instit. Log.*

l. 1. c. 5.

## POSITIO DEC. QUARTA.

Terminus L. simplex consentaneus Materialiter consideratus est Prædicamentalis, seu absolutè Prædicamentum.

Est autem Prædicamentum ordo Substantiarum & Accidentium, per Synonyma & Paronyma repræsentativus.

### EXEGESIS.

§. 1. *Vidimus hûc usq; Terminum consentaneum formaliter, quoad modum prædicandi: sequitur ut eundem spectemus materialiter, quoad res prædicabiles, quarum ordo exhibetur in Prædicamentis.*

§. 2. *Prædicamentum dicitur à prædicando, appellatione desumptâ ab officio. Non autem hîc consideratur aptitudo prædicandi, ut supra in Prædicabilibus; sed coordinatio rerum, prout de altero prædicari possunt. Græcè vocatur forensi vocabulo κατηγορία (cui opponitur ἀπολογία), à verbo κατηγορεῖν, quod primò & propriè accusare significat. Secundariò verò ad rem meliorem translatum, idem est, quod λέγειν, vel quasi ἀγόρευσις κατὰ τινων, prædicationes de quibusdam, ut voluit Fonseca. Unde etiam Boëtius vertit Prædicamenta. lib. 5. Metaph. c. 7. Capititur dupliciter: vel pro serie rerum in Prædicamentis contentarum, cum dicimus hominem esse in Prædicam. Substantia, q. 1. sect. 7.*

*Virtu-*

virtutem in Præd: Qualitatis, h. e. esse aliquid eorum, quæ sub genere Substantiæ, vel Qualitatis locantur. Sic prædicatur paronymos: vel pro summo genere, seu Prædicamento, sub quo disponuntur res. Sic dici solet Substantiam esse Prædicamentum, quantitatem, qualitatem &c. esse Prædicamentum: atq; ita prædicatur synonymos.

§. 3. Definitur, quòd sit ordo, sive classis substantiarum & accidentium: Ergo non est notio prima, sed secunda, quia saltem est collocatio notionum primarum, sive rerum in prædicamenti positarum, quæ ratione κτήσεως ad Metaphysicam, aliasq; disciplinas reales pertinent: ζήσεως verò seu representatio earundem unicè est Logicæ considerationis. Quemadmodum enim in genere Objectum Logicæ sunt omnia Entia, sed tamen quatenus notionibus L. secundis substant: ita & hoc loco materiale Prædicamentorum constituunt substantia & accidentia. Formale indigitatur verbis subsequentiis: quatenus per Synonyma & Paronyma ab intellectu representantur. Non ergò in Prædicamenti considerantur (1) nudæ voces, quæ ad Grammaticam pertinent, & quia extra rerum essentiam sunt, nec essentielles, nec accidentales efficere possunt prædicationes: neq; (2) Res, quatenus sunt; hæc enim sunt contemplationis Metaphysicæ: nec (3) Conceptus simpliciter: sed res (Substantiæ & Accidentia) per conceptus (Synonyma & Paronyma) representatæ.

§. 4. Non autem omnia simpliciter entia ad Substantiæ & novem Accidentium classes referuntur: sed I. Entia Realia, citra mentis operationem existentia. Hinc statim excluduntur (1) Non-Entia, ut sunt: DEUS mortalis, homo irrationalis: (2) Entia rationis, tum Effectivè, quæ à sola ratione producuntur, ut omnes omnium habituum Instrumentalium portiones secundæ: tum Objectivè, quæ saltem ut entia finguntur, qualia sunt Cerberus, purgatorium. II. Entia per se, quæ non accidentaliter ex pluribus sunt composita. Hic remouentur entia per accidens, vel ratione causæ, ut Casus & Fortuna.: vel ratione Unionis, ut complexa, e. gr. acervus lapidum, homo  
sempe



*temperans, poculum deauratum, ferrum ignitum.* Directè  
*Simplicia, Finita, Determinata, & Universalia.* Indirectè, dif-  
*ferentia ad latius posita, tam divisiva, quam constitutiva. Re-*  
*ductivè deniq; 1. Incompleta seu partes tum Essentiales, tum*  
*Integrantes, quæ reducuntur ad Prædicamentum totius; ut ca-*  
*put & manus hominis ad Substantiæ prædicamentum: materia*  
*& forma corporis ad idem. 2. Privationes, ad Prædicamen-*  
*ta suorum habituum: ut ignorantia, cæcitas ad Prædicam.*  
*Qualitatis, in quo scientia & visus. 3. Concreta ad abstracto-*  
*rum ordinem reponuntur: quæ, licet ratione Subjecti, ut Excel.*  
*D. Martini ait, ad Substantiam referenda videantur: propter*  
*formalem tamen significationem ad accidens sui generis referri*  
*debent: ut albus, Philosophus ad Præd. Qualitatis, in quo albe-*  
*do, Philosophia.*

Inst. L. 1. 2.  
c. 4. Can. 4.

## POSITIO DEC. QUINTA.

Hinc Prædicamenta sunt vel Substantiæ, vel Acci-  
dentium.

Pr: Substantiæ est ordo Substantiarum, per genera,  
species, & differentias repræsentativus.

Pr: Accidentium est ordo novem Accidentium,  
per genera, species & differentias repræsentati-  
vius.

### EXEGESIS.

§. 1. Quoniam Ens dividitur in Substantiam & Accidens,  
quæ prima sunt Entis quasi species: itaq; & hæc representatio  
entium erit vel Substantia vel novem accidentium, ut ita in  
universum fiant decem summa rerum genera. Ubi nota,  
quod accidens de quantitate, qualitate & cæteris non prædica-  
tur ut genus; alias ista non essent summa genera, sed saltem ut  
conceptus analogicus.

§. 2. Ca-

§. 2. *Ceterum numerum decem Prædicamentorum Archy-  
 tas Tarentinus ex perfectione numeri denarii deduxit. Casus  
 ex modis prædicandi de primâ substantiâ: & alii ex modis essen-  
 di rectius derivant. His nostrum calculum addimus, nihil mo-  
 nantes eos, qui in excessu hîc peccant, denis non contenti prædi-  
 camentis, undecimum adhuc fingunt: ut Ficinus, quod prædica-  
 mentum signi vocitat, in quo secunda notiones reponantur: vel  
 alios, qui medium adhuc inter substantiam & accidentia faciunt:  
 quò referunt differentias, motum, tempus, locum. Quibus  
 etiam succenturiatur Vives, qui in confesso esse ait, alia ex his,  
 decem sc. summis generibus, & præter hæc potuisse dari genera:  
 cui Excell. noster Præceptor respondet versiculo Catulli:*

*Non satis est, istuc uno te dicere verbo,  
 Sed facere, ut quivis sentiat & videat.*

Multò minus curamus illos, qui defectum elegere: ut Plato,  
 unum, nimirum ens, tantum statuens: vel alios, quatuor tantum  
 priora asserentes, posteriora esse Relationis subdivisiones, ita ut A-  
 ctio & passio sint relatio agētis & patientis, Quando, Temporis, Ubi,  
 Loci: quosdam etiam, novem, Actionem & Passionem in unum  
 contrahentes. Plures opinionum discrepantias vide apud Co-  
 nimbricenses.

Comment.  
 in 4. Cap.  
 de 10. Præ-  
 dic. q. 2.  
 art. 3.

§. 3. *Definitio cuiusq; Prædicamenti, cognitâ nimirum ejus-  
 dem materiâ, facile invenitur. Cum enim Categoriæ sint En-  
 tium ordines, Præd: Substantiæ erit ordo Substantiarum,  
 Præd: quantitatis ordo quantitatum, &c. per genera, species &  
 differentias representativus. Non ergò hîc loci anxie laboran-  
 dum est, quomodo rerum disponendarum definitiones & divisiones  
 sint investigandæ: ut non tantum videmus multos Logicos priori-  
 bus diebus fecisse, sed & hoc ipso tempore quosdam in enucleandis  
 Prædicamentis tantum insumere temporis, ut pueris non Logica,  
 sed omnes fermè disciplinæ veniant ediscendæ. Incidit in Scyl-  
 lam, qui vult vitare Charybdin.*

D. Jung. in  
 Log. Ham-  
 burg. l. 1.  
 c. 4. seqq.

§. 4. Prædi:

§. 4. *Prædicamentum substantiæ continet substantias tùm primas, & vocantur singulares, quæ neq; de subjecto dicuntur, neq; insunt, ut individua substantialia, Johannes, Bucephalus, hæc avis: tùm secundas, & vocantur universales, quæ de subjecto dicuntur, sed non insunt, ut genera & species. Præd: accidentium continet accidentia tùm singularia, quæ insunt, sed non dicuntur: ut quantitatis, hæc linea, hoc corpus: qualitatis, hæc scientia, hic color, justitia Aristidis: tùm Universalia, quæ de subjecto dicuntur & insunt, ut genera & species: qualia sunt, linea, corpus, scientia, color, emtio, visio.*

§. 5. *Quæcunq; sunt in Prædicamentis, prædicantur vel Synonymos, seu essentialiter, ut ὁμογενῆ, qualia sunt superiora de inferioribus, genera nimirum de speciebus, & hæc de individuis: vel Paronymos seu accidentaliter (1) ἑτερογενῆ, ut accidentia de substantiis: (2) inferiora de superioribus v. g. species de genere, Individuum de specie.*

## POSITIO DEC. SEXTA.

Termini L. simplices dissentanei sunt Opposita & Disparata, de quibus agitur in Postprædicamentis.

Est autem Postprædicamentum nihil aliud, quàm ordo terminorum dissentaneorum.

### EXEGESIS.

§. 1. *Hucusq; fuerunt Termini consentanei, tùm formaliter in Antepredicamentis, tùm materialiter in Prædicamentis: succedunt dissentanei, qui de se invicem negantur. De his eruditè & utiliter monet Bertius: Ut in Categoriis, inquit, dicimus prædicationes affirmativas esse vel superioris Synonymi, generis, puta, speciei, differentiæ: vel alterius Paronymi, accidentis, puta, vel proprii; ita hæc docemur, quæ non possint invicem attribui nisi negativè. Et talia sunt Opposita atq; Disparata.*

Logic: Peripat. l. 1. in Postpræd.

§. 2. *Opposita autem h. l. non sunt integræ enunciationes, vel locus topicus, sed saltem termini simplices, qui tractantur in Postprædicamentis indirectè, directè in Metaphysicis, Vocantur alias*

E

diversa

*diversa cum pugnâ, item pugnantiâ, repugnantiâ, græcè ἀντικειμενὰ  
q. dicas contra-posita: quæ cum in eodem subiecto, eodem res-  
pectu & tempore inesse, deq; se invicem affirmari non possint, nega-  
ri debent, ut sunt Relata, pater & filius: Contraria, calor, &  
frigus: Privantia, vita & mors: & Contradictoria, ens & non-  
Ens negativum.*

§. 3. *Disparata dicuntur, quasi res sive species disseparata, &  
sunt quidem diversa (sc. sine pugnâ) non tamen propriè opposita, ut  
Ramei volunt, cum non statim diversitas rerum faciat oppositionem.  
Itaq; quamvis diversam habeant naturam, in uno tamen subiecto  
sepe concurrunt, ut Medicina, Philosophia, ferrum, ignis, pietas, sa-  
pientia, divitia. Non autem in essentiâ abstractâ. Sic nequeo dice-  
re, Medicina est Philosophia, ferrum est ignis, quia hoc modo  
de se negantur, ut: ferrum non est ignis: Benè tamen in concreto  
dicere possum: Medicus est Philosophus, ferrum est ignitum, & i-  
dem homo potest esse pius, sapiens, dives.*

§. 4. *Horum omnium doctrina barbarè vocatur Postpredi-  
camentum, quia Prædicamentis postponitur. Ut enim affirmatio  
prior est negatione: ita etiam modo prædicandi affirmativo, qui ex  
unitate & Identitate terminorum reali desumptus, non inrectè suc-  
cedit negativus, ex diversitate, divisione & distinctione eorundem  
petitus: ille erat in Ante- & ipsis Prædicamentis; hic verò in Post-  
prædicamentis.*

## COROLLARIUM.

Usus Terminorum simplicium L. tam Consen-  
taneorum, quàm dissentaneorum conspicitur ex *Præ-  
dicatione*. Est autem prædicatio in genere attributio  
prædicabilis ad subiectum, ut actu fiat prædicatum.  
Et dividitur in *Notionalem & Realem*. *Notionalis* est,  
in qua notio secunda de subiecto prædicatur: ut in  
his: Animal est genus, homo est species, substantia  
est

D. Jac.  
Mart. in  
Instit. L.  
lib. 1. in fi-  
ne.

est prædicamentum. *Realis est*, in quâ notio prima de  
subjecto prædicatur: Estq; vel *falsa vel vera*. *Falsa est*,  
quæ cum re, de qua loquitur, non consentit: ut ho-  
mo est lapis. *Vera est*, quæ cum re consentit. Quæ ite-  
rum est vel *affirmativa vel negativa*. *Affirmativa est*, in  
quâ prædicatum de subjecto affirmatur. Estque vel *Sy-*  
*nonymica*, in quâ prædicatum de subjecto dicitur *Sy-*  
*nonymos*, ut Petrus est homo: homo est animal: ho-  
mo est rationale sc. quid: animal est corpus: corpus  
est substantia; vel *Paronymica* in quâ prædicatum de  
subjecto dicitur *paronymos*, utpote vel proprium de  
specie, ut, homo est risibilis: vel accidens commune  
de individuo, Plato est doctus: vel inferius de supe-  
riori: ut animal est homo, quidam homo est Plato.  
*Negativa est*, in quâ prædicatum de subjecto negatur,  
utpote vel oppositum de opposito, pater non est fi-  
lius, mors non est vita, calor non est frigus, vir-  
tus non est non-virtus: vel disparatum de  
altero (sc. in abstracto) *Physica non*  
*est Logica.*



Ad

Ad Dn. Resp:

**Q**uicquid in ingenio poterit laudari unquam,  
Hoc in te residet nobile, Petre, bonum.  
*Dextera Melpomene, ludique jocique pudici:*  
*Dexter Mercurius: dexter Apollo tibi.*  
*Autumo, te nato, quosvis voluisse Planetas*  
*Non parvum coelo conciliare decus.*  
*Quae recivo, mentis, non vultus, dona putabis,*  
*Cum sis exterius nigror Aethiopo.*  
*Felix, qui donis valet his feliciter uti,*  
*Exerat ut vires, quae latuere, suas.*  
*Nam non portendunt habitus haec sidera nobis:*  
*Verum dant citius discere quaeq; tibi.*  
*Exeris hic quaedam nostram scandendo cathedram,*  
*Cetera dum cuius nobilem patent.*  
*Est Logicae specimen quamvis ignobile multis:*  
*Enitet in vili te magis ingenium.*  
*Major laus vati, pulicem laudare nigellum,*  
*Quam Romanorum fortia facta ducum.*  
*Si tanto, quo fecisti, sudore labores*  
*Defendes, certe vir mihi magnus eris.*  
*Sis quamvis parvus: verbis promittere possum,*  
*Te verbis hostes vincere posse tuos.*  
Nam quod in ingenio poterit laudari unquam,  
Hoc in te residet nobile, Petre, bonum.

Præses.



6A

05 A 315

**ULB Halle**


3

004 209 761









DISPUTATIO LOGICA  
*De*  
Prima mentis operatione,

*Quam*  
Deo Autore,  
SUB PRÆSIDIO  
M. MICHAELIS VVENDLERI

PETRUS Lichterfeldt /

*publicè proponit*  
ad diem 15. Octobr. in auditorio minori

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI Siegel.

ANNO MDGXXXVI